



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum
dierum Quadragesimæ

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066405

70. Considerando Passionem Domini, secundum admirandos atque
paradoxos ejus fructus, quos illa potulit, profert, proferetque, in omni
genere cordium v. g. Æterni Patris, Christi ipsius, Matris ejus, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-45427

MODUS LXX.

Septuagesimus Modus Dominicam Passionem meditandi esse potest. Assumere Passionem Christi sive universam & totam, sive etiam per partes distributam, & advertere, ruminare, degustare, experiri, & admirari, & glorificare ejus admirandos, & paradoxos effectus, dimanantesque ex ea fructus, quos protulit & proferetque in finem usque mundi, intò & in omnem æternitatem. Primò quidem in corde Patris æterni. Deinde in corde Christi ipsius patientis, seu qui passus est. Tertio. In corde etiam Divinæ Matris. Quarto. In corde Electorum & Beatorum. Quintò. In corde reproborum & damnatorum. Sextò. In corde persecutorum. Septimò. In omnibus creaturis. Octavò. In ipso Meditatore Passionis.

Quantum ad Æternum Patrem, Passio Christi operatur & Justitiam & Misericordiam: provocat enim Deum ad iram ad vindictam enormitate sceleris, quæ est in Deicidio: & in occisione adeò funesta unigeniti sui; & rursùm tamen provocat eundem Deum Patrem, ad Indulgentiam, Misericordiam, & veniam, & insuper ad dilectionem eorum, quicumque fuerunt causa qualiscunque, necis & Passionis Filii, sive promerendo illam peccatis suis, ut omnes singulique homines, omnibus, singulisque suis peccatis; sive eam studiis, odiis, manibus, rabieque suâ procurando, quærendo, exercendo, inferendo: uti sunt, dæmon cum omni potestate tenebrarum. Gentiles quoque ut Pilatus, Herodes cum suis ministris & militibus. Omne enim

S:
ope
Jo
N

enim isti eo ipso, quem profuderunt Christi sanguine, redempti & reconciliati sunt Deo Patri, etiam pro ipso illo profusionis necisque Christi perpetrato scelere. Quod patuit post mortem Christi, tam ante Resurrectionem, quando mor-
 tuo Jesu, videns centurio quia sic clamans exspiras-
set in Cruce, & visis signis quæ fiebant: confessus est, quia verè Filius Dei erat iste, & multi de populo revertebantur à loco mortis Domini, percutientes pectora sua: quàm & post Resurrectionem, quando ad Petri prædicationem illi ipsi qui tempore Passionis clamaverant. Crucifige, Tolle, secundum legem debet mori. Ad pœnitentiam, fidemque, & amorem in Crucifixum à se Christum conversi sunt, effundente nimirum super eos Patre Aeterno misericordiam, & gratiam suam, à Christo suo illis apud se per Passionem & mortem promeritam, atque obtentam. Itaque Passio Christi est similis Arcui cælesti in nubibus, qui & est natura suâ nubium imbribus fœcundarum portio, & simul diluvii exundantis non futuri coram Deo memoriale & signum.

Quantum ad Christum ipsum Patientem, Passio ejus fuit cordi ejus & desiderabilis, & formidabilis; fuit peccatum & pœna peccatorum, & remedium eorundem, propter quorum primum, Christus eam noluit: propter secundum eam in se suscepit, propter tertium eam amavit, & Patri obtulit, & in nos redundare fecit, propter quod Apostolus affirmat, quòd *Christus mortis chyrographum nobis contrarium sustulit, & delevit affigens illud Cruci.* Præterea Passione suâ & morte Christus est exinanitus usque ad formam servi, & impii, & latronis, & crucifixi; &

Luc. 23. 47.

Luc. 23. 18. 21.

Joan. 19. 7.

Act. 2. 37.

Act. 4. 4.

Gen. 9. 13.

Handwritten notes in a cursive script, including the word 'Dicitur' and other illegible characters.



per eandem exaltatus atque glorificatus est, dataque est illi omnis Potestas in cœlo, & in terra, & intravit in gloriam suam, accipiens nomen quod est super omne nomen, factus omnibus causa salutis æternæ; Patri autem cœlesti, Glorix & exaltationis æternæ.

Quantum ad Pretiosissimam Christi Matrem, Passio Christi Filii, erat illi gladius doloris ipsam animam ejus pertransiens, fuit illi omnis probri, & contumeliæ materia. fuit illi magnæ, instar maris, contritionis, & afflictionis seges, inò messis & occasio; fuit illi unicæ & irreparabilis incompenfabilisque orbitatis causa; simul autem eadem Filii Passio, contulit illi ut esset primogenita omnium redemptorum à Christo, simulque compars quædam, & comparticeps præcipua Passionis, Patientisque Christi, simul quoque suo modo Corredemptrix mundi, quatenus sanguine Christi ejus Filii, ex ea desumpto, redemptus est mundus, ipsâ simul cum Filio eum offerente Patri cœlesti pro mundo universo, simul denique facta est Mater omnium nostrum, tot scilicet filiorum, quot sunt in numero redemptorum. Non enim de solo Joanne dixit Christus Matri. *Ecce Filius tuus*: Sed in Joanne uno datum est Matri in filios totum humanum, Christi sanguine redemptum, genus.

Quantum ad Electos atque Beatos: etiam in horum corde operatur Passio admirandos effectus: quia illos & sibimet ipsis, viles, abjectos, omni poenâ & suppliciis etiam æternis dignos demonstrat, & nihilominus eosdem coram Deo pretiosos, amabiles, amicos beatitudinis partim candidatos, partim possessores facit. isti
intimo

G:
ope
Jo
N

intimo cordis sensu Passionem Dominicam & sentiunt, & partim lugent, in seiposque derivari cupiunt, sibi eam potiùs, & non Domino suo deberi confitentes, partim (lugere cum per statum beatitudinis non possunt) eam in suæ salutis beatitudinisque bonum assumptam, & adhibitam esse intuentur, mirantur, & obstupescunt. Rursum verò simul se ejusdem Passionis Christi efficacem fructum, condignum præmium, finem singularem, atque pretiosum intuentes & agnoscentes, de doloribus, contumeliis, passionibus, vulneribus, & morte, & cruce Christi gaudent, lætantur, gloriantur, cumque Christo gratulantur, & pro ea Patri æterno æternas gratias agunt. Denique una, & eadem Passio Christi Ecclesiam quidem ædificavit, Synagogam vero destruxit.

Quantum ad Reprobos & damnatos. His Passio & mors Christi, quantum ex ipsa, salus est, & vita, remedium & liberatio à perditione tam peccati, quàm inferni; quantum verò ad ipsosmet, eadem illis est in ruinam & perditionis æternæ exaggerationem, quoniam dilexerunt magis semetipsos quàm Deum, diaboli servitutem quàm Dei voluntatem, concupiscentiam suam, quam Christi Charitatem. *Noluerunt benedictionem, elegerunt verò maledictionem, & elongata est ab eis illa, venit autem illis ista.* *ps. 108. 18.*

Quantum ad Persecutores. Horum quidam fatiati sunt pœnis Christi, quidam molliti sunt cruciatibus Christi: eum Judas ad mortem vendidit, Joseph mortuum à Pilato impetravit; & quem viventem confiteri timuerat, mortuum audacter à Præside sibi donari postulabat, eundem

Ff 4

dem

Handwritten notes in the right margin:
 D...
 S...
 r...
 m...
 V...
 g...

dem Petrus cum detestatione, juramento, & anathemate negaverat, latro ei con crucifixus, ipsum, & contra socium blasphemum defendebat, & universis adstantibus innocentem predicabat, & ejus confitebatur à morte regnum, quem juxta se videbat affixum ad lignum, ab eoque accipiebat Paradyfi societatem, cum quo pariter sustinebat Crucem, & crucis mortem.

Quantum ad omnes creaturas. Mors Christi sensum sui indidit omnibus, quæ sensum sui nullum habebant. Luxit enim eum sol, & luna, & stellæ, & nox, & dies. Luxerunt eum petra, & terra, & mare, & cœli. Luxerunt eum mortui, & ab inferis rediivi. Angeli quoque pacis eum amarè flebant patientem, universa etiam mundi machina in ruinam festinabat Domino Patiente, quæ tamen omnis interea restaurationem sui recipiebat ab eodem Domino moriente; ad extremum, quæ creatura serviebat inimicis ut sæverent in Dominum, eadem patientem sentiebat & plangebat Dominum.

Quantum ad Meditorem Passionis Dominicæ, in eo, quam miros, quàmque diverto operatur Passio Christi effectus, malo id non meis sed Divi Bonaventuræ explicatum sit verbis.

In sim. amoris Parte 1. c. 10

[„ O Passio desiderabilis! ô mors admirabilis! Quid mirabilius? quàm quod mors vivificet, vulnera sanent, sanguis album faciat, & intima mundet; nimius dolor, nimium dulcorem inducat, a pertio lateris, cor cordi conjungat? sed adhuc mirari non cesses, quia sol obscuratus plus solito illuminat, ignis extinctus magis inflammatur.

S:
ope.
Jo
N

flammat : passio ignominiosa glorificat. Sed
 verè mirabile est, quod Christus in Cruce sitiens
 inebriat, nudus existens, virtutum ornamentis
 ornat. Sed & manus ejus ligno conclavatae nos
 solvunt, pedes confossi, nos curere faciunt:
 emittens spiritum, vitam inspirat: in ligno de-
 cedens, ad caelestia vocat. O Passio amabilis &
 mirabilis: quæ suum meditatorem alienat & im-
 mutat, & non solum reddit Angelicum, sed di-
 vinum. Nam per meditationem, commorans in
 Christi tormentis, etiam se ipsum non videt:
 semper intuetur Dominum suum passum, vult
 secum crucem bajulare, & pro ipso levissimè
 omne bonum & malum vult portare, & ipsum
 in corde portat, cœlum & terram pugillo tenen-
 tem. Vult secum spinis coronari, & ipse spe
 gloriæ coronatur: vult secum in ligno sine ve-
 stimentis frigescere, & nimio amoris ardore suc-
 cenditur: vult secum acetum gustare, & vino
 inenarrabilis dulcedinis potatur: vult secum in
 cruce existens sibi illudi, & ipse ab Angelis ho-
 noratur, & à Beata Virgine in filium adoptatur:
 secum volens tristari lætatur, secum volens affli-
 gi consolatur, & nimium jucundatur. Cum
 Christo vult in cruce pendere, & eum Christus
 dulcissimè amplexatur, secum vult faciem, mor-
 tis pavore perfusam inclinare, & ejus caput
 Christus elevans suavissimè osculatur. O mors
 amabilis, ô mors delectabilis. „] Hæc Bona-
 ventura, non minùs dilucidè quàm devotè ex-
 plicans effectus & præclaros & admirandos, &
 veluti paradoxos insperatosque, quos in suis me-
 ditatoribus Passio Christi Domini operari apta
 est, & operatur, dum animas mentesque ido-

Handwritten notes in a cursive script, possibly a library or collection mark, including the word "SICKI" and other illegible characters.

neas talibus effectibus invenerit, sive ut (verius dicam) perfecerit.

MODUS LXXI.

Septuagesimus primus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse potest. In præcipuis Jesu Christi Passi, aut Patientis membris ac vulneribus, recognoscere aliquam congruam & Christo dignam perfectionem, tum Christo indignam passionem, tum piissimam nostræ salutis operationem. Circa quodlibet tale Christi membrum consideratione & meditatione tantisper immorando, donec mens congruis veritatibus erudiatur, affectibus pascatur, virtutumque actibus perficiatur, prout animam gratia & unctio Spiritûs, nec non ipsius animæ pia devotio disposuerit. Appono compendiosam ejus modi designationem. Pes Christi sinister vulneratus est, qui omnia sustinet. Pes dexter vulneratus est, qui omnia possidet. Manus Christi sinistra faucia est, quæ omnia fecit. Manus Christi dextra faucia est, quæ omnia regit. Cor Christi vulneratum est, quod omnia vivificat. Caput Christi spinis horridum est, quod omnia coronat. Scapulæ Christi vulneratæ sunt, quæ omnia protegunt. Brachia Christi vulnerata sunt, quæ omnia amplexantur. Pectus Christi cruentum est, quod omnia fovet. Vultus Christi despectus est, qui omnia lætificat. Sanguis Christi effusus est, qui omnia redimit & abluit. Caro Christi lacerata est, quæ omnia pascit. Anima Christi afflicta est, quæ omnia sanctificat. Deus in carne passus est, qui omnia beatificat.

De-

S:
ope:
Jo
N